

www.e-rara.ch

Dissertatio generalis de physica

Screta, Friedrich Lucius

Basileae, anno Christi 1649

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-23560>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Catalog

Ms. 444 N 42

DISSERTATIO GENERALIS

De

PHYSICA

Quam

ΞΥΝΘΕΩ

in illustri Scahusianorum Schola

cunctis Φιλαλήθεσι

FRIDERICVS LVCIVS SCRETA

PHILOSOPHIAE DOCTOR

Præses

& Respondentis vices obiturus

IOH. PETRVS ZIEGLERVS

Scahusa-Helvet.

Ad diem

Ianuarii

Publicè discutiendam exponunt.



B A S I L E A E

excudebat GEORGIVS DECKERVS

Vniuersitatis Typographus

ANNO CHRISTI MDCCIL.





VIRIS *verè magnificis*
Inclytæ Scafhusianorum Reipublicæ
CONSVLIBVS *amplissimis*
PROCONSVLI *prudentissimo*

NEC NON
admodum reuerendo vigilantissimo doctissimo

Ecclesiæ eiusdem **ANTISTITI**
ceterisq; **ex ECCLESIASTICO & SENATORIO**
ordine **SCHOLARCHIS** *grauissimis*

Dominis suis & studiorum Fautoribus
deuotâ mente suspiciendis

cum felicibus noui anni auspiciis
perpetua prosperitatis votum

isthac inscriptione

P.

M. FRID. LVCIVS SCRETA.



P O S I T I O I.



Υοικὴ scil. Ὑπικήμη, ἀπὸ τῆς φύσεως
ortum trahens, Latinis appositè natu-
ralis scientia dicitur.

I I.

Vox hæc Physices, olim quidem à Stoicæ philo-
sophiæ sectatoribus, pro omni philosophia theore-
tica, in latiori significatu vsurpata legitur. *Τεμερῆ
Φασιν εἶναι τὴν καὶ Φιλοσοφίαν λόγον. εἶναι γὰρ αὐτῆς τὸ μὲν π,
Φυσικόν. τὸ δὲ, ἠθικόν. τὸ δὲ, λογικόν.* h. e. *Tripartitam esse
dicunt philosophiæ rationem: aliam quippe physicen; aliam
ethicen; aliam logicen dici.* *Diogen. Laert. de vit. Philosoph.
libr. VII. in Zenone Cittico.* Vbi, sicut per Logicam, quod
in philosophia est organicum; per Ethicam, quod
in eadem est practicum, innuitur: ita non incon-
gruè, per Physicam, tota theoretica philosophia
subauditur.

I I I.

Magis tamen receptâ & pressâ magis appellatio-
ne, eam solùm speculatricis philosophiæ partem,
quæ in naturalium corporum disquisitione insumi-
tur, Physica hodiernò tempore significat.

I I I I.

Hæc *Ciceroni in libb. d. natur. Deor. d. finib.* & alibi,
physiologia audit, naturæ item cognitio, explica-
tio, &c. Alii philosophiam secundam vocant, ad
distinctionem Metaphysicæ, tanquam philosophiæ
primæ, apud *Aristot. libr. VI. metaphys. cap. i.* Physicus

quoque *Ciceroni* speculator est venatorque naturæ. Plures & συνώνυμοι περιφράσεις, cuius autores peruoluenti & linguarum perito occurrunt.

V.

His ita de nomine prælibatis, ad institutum propius accedentes, breuitatis tamen studiosi, ipsam Physicæ & naturalis philosophiæ naturam, φυσικῶς καὶ ὡς ἐν τύπῳ contemplabimur.

V I.

Susceptam à classicorum autorum plerisque, nec absratione comprobata definitionem & nos retinemus: *Physica est scientia corporis naturalis, quatenus id naturale est.* Hæc nunc ut legitima, quoad partes suas, Genus nimirum & Differentiam, illustranda venit.

V I I.

Quod ante omnia Genus concernit; Physice merito ad Scientias, & quidem μη καινῶς ἀλλ' ἰδίως eâ voce intellectâ, refertur.

V I I I.

An detur habitus aliquis scientificus; quæsitum est apud veteres, & negatum à Philosophis, Academicorum cognomine insignitis: qui in dubium omnia vocando, nihil certi nos scire statuebant; ipsamque adeo veritatem ac certam rerum scientiam è medio tollentes, sub verisimilium solum specie cuncta nos apprehendere volebant. *Vid. Cicer. in libb. quest. Acad.*

I X.

Quàm absurda autem & ἀφελόσυτος hæc sit opinio, cum vel cæco per somnum apparere possit; ei conuellendæ, utpote jam explosæ, non immorabimur. Et quî de omnibus ambigere illi potuerunt: cum de hoc suo dogmate, omnia incerta esse, nequaquam

5

quaquam dubitare debuerint? *D. Augustinus* peculiari opere librorum trium, Academicos hosce perstringit. Inspiciatur *Idem in libr. de ver. rellig.* Certi itaq; & demonstratiui habitus, vulgò Scientiæ, reperiuntur adhuc.

X.

Quid tamen Scientia propriè dicta sit, *Aristot.* *libr. VI. Ethic. ad Nicom. cap. 3.* optimè nobis scriptum videtur reliquisse. Επισήμη μὲν ἔν [inquit] τί ἐστίν, ἐν-πύθεν φανερόν, εἰ δὲ ἀκριβολογεῖσθαι, καὶ μὴ ἀκροαθεῖν τῆς ὁμοιότητι. πάντες γὰρ ὑπολαμβάνομεν, ὃ ὁρῶμεθα μὴ ἐνδεχέσθαι ἄλλως ἔχειν. τὰ δ' ἐνδεχόμενα ἄλλως, ὅταν ἐξω τῆ θεωρεῖν γένηται, λαμβάνει εἰ ἐπὶ ἡμῶν ἐξ ἀνάγκης ἄρα ἐστὶ τὸ ὁρῶν. αἰδίων ἄρα. *Ac scientia quidem quid sit, ex hoc perspicuum esse potest, si rei veritatē subtiliter exquirere, non similitudines consuetari volumus; quòd omnes existimamus, euenire non posse, ut id quod scimus aliter sese habeat. Quæ autem sese aliter habere possunt, ea cum longè à conspectu remota sint, sint necne sint, obscurum est. Ergo, quod scientiâ comprehendendi potest, necessariū est. Ex quo efficitur, ut æternum sit. Et cæt. Hactenus ille. Quo ex loco, nec non parallelis, præcipua Scientiarum, ut & subiectorum quæ in Scientiis pertractantur, requisita eliciuntur.*

XI.

Octo autem Peripatetici communiter ad Scientiæ constitutionem requirunt; ut sunt: 1. Circa res speculatiuè solùm versari. 2. Vllum opus nequaquam producere. 3. Caussata per proprias & proximas caussas demonstrare. 4. Non secundis sed notionibus primis, rebusq; in natura existentibus inherere. 5. Non circa contingentia & singularia infinita occupari. 6. Terminari subiectò ab omnibus aliis exactè distinctò. 7. Principia & affectiones proprias

obtinere: v. g. habitum esse ἀμετάπτωτον καὶ ἀμετακί-
νητον. 8. denique, non dependere ab arbitrario ho-
minis adsensu.

XII.

Omnia hæc & singula Physicæ nostræ applicare, quàm est facillimū. E' præcipuis enim, de Subiecto suo scientifico [quod ex classe quoque eorum, quæ *Aristot. cit. libr. VI. Ethic.* sunt αἰδία, ἐξ ἀνάγκης ὄντα ἢ γινόμενα, καὶ κατὰ φύσιν, ἐν αὐτοῖς ἀρχῶν ἔχοντα, aeterna, necessario existentia, & secundum naturam, in seipsis principium habentia] non solum per principia essentialia, proprias affectiones luculenter satis demonstrat: sed & Finem, nudam sibi habet cognitionem, propositum; cui acquiescens, nullum aliud opus aut actionem ulterius intendit. Et sic de ceteris.

XIII.

Est ergo & manet Physice Scientia, & quidem propriè sic dicta. Quò tamen Genere scriptorum naturalium plures minimè contenti sunt, dum id vel remotius, vel Physicæ planè ἐπιπροσένεον arbitrantur.

XIV.

Conimbric. proæm. in libb. phys. Aristot. quest. 3. disputant pluribus; sitne philosophia naturalis, scientia contemplatrix an practica? & tandem *loc. cit. artic. 3.* contemplatricem esse concludunt. Verùm, quis manifestam heic λογομαχίαν & πωρολογίαν non videat? Scientia enim, & Aristotelis quem illi ipsi summè venerantur effatò, & sapientum omnium placitis, θεωρίαν pro fine agnoscit, naturâque adeò suâ habitus est contemplatiuus.

XV.

Sunt, qui artem speculatiuam, vt aiunt, obtrudere conantur: qui semetipsos contradictionis in adie-

in adiecto reos mirum est quur non condemnent.
Τέχνη, defnitore *Aristot. cit. libr.VI. Ethic. cap. 4.* ἐστὶν ἐξὺς
μετὰ λόγου ποιητική. *ars est habitus cum ratione effectiuus.*
Quid nunc secundum hosce aliud erit ποίησις θεωρη-
τική, ἢ θεωρία ποιητική, quàm sermo contradictionem
apertè implicans? *Et libr.VI. metaph. cap. 1.* Philoso-
phus ait: ἐπεὶ ἡ καὶ ἡ φυσικὴ διατήρησις τυγχάνει ἕσσι πρὸς γέ-
νη. πῶς οὖν τὸ ὄν, δῆλον ὅτι ἔτε θεωρητικὴ ἐστίν, ἔτε ποιητική.
*Cum autem Physica etiam circa quoddam entis genus scien-
tia sit; patet, quod nec actiua nec factiua est.*

XVI.

Hæc de Genere Physices. Nunc ad Differentiam,
alteram Definitionis partem, quæ à Subiecto eius-
dem desumpta est, transeamus.

XVII.

Scientiæ quidem in vniuersum, sine sub θεωρία, à
reliquis omnibus disciplinis discretæ sunt: ipsas
tamen inter se, propria singularum Subiecta, adhuc
differre faciunt.

XIIX.

Tale est Corpus naturale in Physica. quod vni-
cum, varii licet sint autores, ipsius subiectum dici
meretur; siquidem omnibus subiectorum scientifi-
corum requisitis, quæ Philosophi ex *Aristot. libr. 1. po-
ster. analyt.* potissimū collegere, præ aliis resplendet.

XIX.

Præcognoscitur enim in Physica quoad nominis
rationem, & quod sit & quid sit: principia sua & af-
fectiones habet: per se existit, nulliq; inesse dicitur:
verum est, non effectum: necessarium est, vniuersale
& perpetuum; non contingens & singulare: omni-
bus in Scientia substernitur: & vltimò, adæquatam
est Physicæ, totamque ipsius scientiam exhaurit.

XX. Hæc

XX.

Hæc vtut se habeant , à pluribus tamen Corpus hoc nostrum naturale respui, simulque in vero Physicæ subiecto assignando, non tantum à nobis , sed inter se quoque discrepare autores, compertum est. *Thomas de Aquino*, cum tota sua cohorte, quos inter & *Conimbr. loc. cit. q. 4.* ens mobile genuinum arbitratur. *Magnus Albertus* elegit corpus mobile: quem *Bened. Perer. physic. libr. II. cap. 3. Iac. Zabarella, &c.* sequuntur. *Scotista* substantiam naturalem volunt. Alii denique, ens naturale. Heic & rationum momentis vbique pugnatur, & principis Philosophorum *Aristotelis* testimoniò, qui *cit. libr. VI. metaph.* vbi de Physicæ subiecto aliis atque aliis verbis loquitur, huic controuersiæ ansam videtur præbuisse. Re tamen penitiùs inspectâ , & candidè pensitatâ, nihil reliquum est, cur tantum fiat diuortium. Verba quidem diuersa sunt: nolentes tamen volentes , quoad rem ipsam idem nobiscum statuere coguntur.

XXI.

Et quid præ corpore naturali magis arrideat substantia vel ens naturale ? Ego certè nomina propiora, magis iudico propria. Pari ratione, cur ens & corpus mobile quidam defenderunt ? Omne quidem corpus à Physico consideratum, reverà est mobile: non autem vicissim, omne mobile corpus, considerationis est physicæ. *Aristoteli loc. cit. πῶς κινῶν τινῶν ἡ φυσικὴ ἐστὶ καὶ πῶς τὸ αὐτὸ πρὸς ἑαυτὸν ἔσται, ἐν ᾗ ἡ δὲ χητὴς κινήσεως καὶ στάσεως ἐν αὐτῇ.* De mobilibus ergo quibusdam est Physica : quæque motus & status siue quietis suæ principium extra se habent, extra Physicæ quoque limites ablegata sunt. Accedit, eos, qui corpus mobile subiectum faciunt Physicæ , id
absurdi

absurdi committere, quòd denominationem sumant ab accidenti aliquo, affectione nimirum: quæ tamen potiùs, commodiùs & veriùs à principiis essentialibus & formâ potissimum fieri debebat. Mobile enim, corpori in Physica accidit: naturale verò, eidem essentialè & formale est.

XXII.

Corpus ergo naturale, quod substantia est è materia & forma naturali constans, inconcussum adhuc Physicæ subiectum persistit: quod tamen nudè & absolutò sermone intelligendum non est. Neque enim τὸ naturale, in data Physices definitione, [quâ *thes. VI.* dicitur Scientia corporis naturalis, quatenus id naturale est] frustra duplicatur. Cùm, si non ubique possit, in definitionibus tamen, verborum superfluitas & πολυλογία vitari omninò debeat.

XXIII.

Illâ siquidem duplicatione, formalis subiecti physici ratio, quæ ipsum ab omni alio scibili separat, perquàm studiosè indigitatur.

XXIV.

Subiecta enim Scientiarum duo semper includunt; rem consideratam & modum considerandi: quorum illud in Scholis materiale est subiecti, hoc verò formale.

XXV.

Res considerata & materiale in subiecto, id quidem est, quod Scientiæ subiicitur; adeoque ipsum eius subiectum & materiam denotat.

XXVI.

Quia tamen vna eademque res diuersò respectu habitò, in aliam atque aliam considerationem venit: modus etiam & ratio cognitu est necessaria,

per quam nec aliam, vna talis res considerata, vni quoque alicui Scientiæ fiat propria. Et hoc ipsa est forma & anima quasi Subiecti.

XXVII.

Sic corpus naturale, non nudè & simpliciter [vt iam inuimus] neque aliò etiam respectu, quàm quatenus naturale est, siue Naturâ, internò motûs & quietis principiò constat, à physico in physica perpenditur.

XXVIII.

Naturale hoc corpus in triplici acceptione ibidem repperitur: denotat enim, 1. in conceptu generaliori, Genus, citra tamen considerationem specierum. 2. eiusdem Generis Species, nec tamen ad Genus adtendendò. 3. Genus cum Speciebus, & Species cum suo Genere simul.

XXIX.

Inde trinò quoque sensu Physicæ subiicitur. Postremò quidem toti; quia corporum à summo ad infima vsque naturas interpretari, ipsius vniuersim est officium. Priore, parti eiusdem ea propter generali vocitatæ. Mediò denique, propriæ & speciali.

XXX.

Hoc proin ex fundamento, antecessorum vestigiis insistentes, omnem Physicæ doctrinam, in generalem & specialem bipertimur.

XXXI.

Pars illa generalis, cognitio est corporum naturalium *eu* *generis*, de communibus videlicet omnium principiis & affectionibus.

XXXII.

Specialis, est de corpore naturali *eu* *indivisa* notitia, quæ propria cuiq; in sua specie applicat.

XXXIII. Et

XXXIII.

Et hæc distributio è subiecto & modis quibus id ipsum cognosci potest, desumpta, satis idonea & conueniens est humano intellectui; cui corpus naturale tum in genere tum in specie cognoscendum offerri, nemo negabit. Vt genus autem à speciebus naturâ suâ est distinctum, ita quoque generis cognitionem à cognitione specierû distinctam esse oportet. Quò neglectò, si specialis Physicæ partis propria communi misceremus; informe Poetarum chaos, maximò discentium dispendio æmularemur. Nec obstat, quòd genus speciebus suis, de quibus in quid est prædicatur, contrarium esse nequeat: omnis autem legitima distributio debeat ex contrariis constare. Nihil enim absurdi est, genus & speciem, generale item & speciale, κατὰ τὴν statuere contraria.

XXXIV.

Haëtenus de diuisione nec non definitione Physices. Dictorum nunc occasione, tum alia similis argumenti subnectemus πορτοματα, tum etiam præcipua adtributa, quibus præ reliquis disciplinis nostra hæc scientia ornata est, elicere annitemur.

XXXV.

Physica primò disciplina omnium ferme est antiquissima, & ab ipsis huius vniuersi primordiis suam ducit originem. Primus enim humani generis parens Adam, primus quoque Physicus, sancti contextûs testimoniò perhibetur. Huic quippe DEVS munificentissimus bonorum diribitor, præter alia infinita singularis gratiæ specimina, perfectissimam insuper conditarum rerum infudit scientiam; cuius adminiculò, non fortuitò excogitatís, sed naturam

& ἰδιοσυγκροσίαν singulorum exactè denotantibus
nominibus propriis, animalium quæque appella-
re potis fuit. E' quorum etiam solo & primo intuitu, nullum adhuc sibi socium competere cognouit.
Genes. II. 19. 20.

XXXVI.

Physica dein scientia est amplissima. Non enim ar-
ctioribus, quàm ipsa vniuersitatis rerum compa-
ges, limitibus terminatur. Quicquid cœlorum
ambitu concluditur; quicquid ingens & spatio-
sum inane capit; quicquid in imis terræ matris
penetralibus absconditur, illud omne est à physico
perpendendum. Immò, altiùs quàm ipse Mun-
dus, Physica se quòdam modò extendit; vbi DEVM,
qui visibilibus hisce carceribus non comprehen-
ditur, primum motorem, primamque omnium
causam, & Ens illud entium confitetur liberrimè
& profitetur.

XXXVII.

Maxima insuper Physica est incunditas. Quem enim
infinita rerum istheic occurrentium varietas sum-
moperè non afficiat? Quis inuariatà earundem
naturà non permoueatur? Omnium certè illarum
intenta contemplatio, in exoptandam nos rapiens
ἐκστασιν, Diis propiores & faciliè similes efficere potest.

XXXVIII.

Μακροέσμις θεωρία, & stupenda mundani ædificii
magnitudo, inter alia naturalem DEI ipsius co-
gnitionem animis nostris implantat: cuius solius
ope, etiam Ethnici, DEVM esse, extra reuelatum
verbum, certò pronunciarunt. Vniuersi illud com-
pendium, & ψαῦμα ψαυμάτων μικρόεσμις homo,
nosmet ipsos in seriam ἑ γνῶσις πρᾶξις meditationem,
nem,

nem, regiâ viâ deducit. Quæ duo [si nihil aliud]
inæstimabilem Physicæ vtilitatem immò & neces-
sitatem adaperiunt.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ

ΕΠΙΜΕΤΡΑ ΟΜΟΓΕΝΗ.

1. Docet Physicus, quod non est Physicæ.
2. Non quicquid in Physica tractatur, ipsius subie-
ctum existit: est tamen aliquid subiecti, prin-
cipium scilicet vel affectio.
3. Hinc *ὁμῶς* est Physicæ de Anima discursus.
4. Physica non est circa singularia.
5. Indiuidua tamen sunt duplicia:
μοναδικὰ dicta, quæ simile sibi non habent: vt,
Sol, Luna. Hæc rationem speciei infimæ
subire possunt.
καθ' ἑκάστην, quæ numerò & additione *καθ' ἑμᾶς*
sunt infinita.
6. Alia est necessitas *ἀπλῶς* & absoluta: alia physica,
& *ἐξ ἀποθέσεως*. Ignis simplici necessitate vrit:
homo circa finem noni mensis & principiū de-
cimi, *ὡς ὅτι τὸ πολὺ*, & si omnia secundum nat-
uram sese habeant, in lucē æditur bipes, dua-
bûs manibûs, & in qualibet quinq; digitis, &c.
7. Omnia corpora naturalia simul sumta, consti-
tuunt corpus naturale in generica notione.
8. Omnia corpora naturalia simul sumta, consti-
tuunt mundum hunc adspectabilem.
9. Nec tamen mundus idem est, quod corpus natu-
rale in genere acceptum.
10. Et illius, mundi scil. *ἰσχυρία*, ad partem Physicæ
specialem; huius, ad generalem pertinet.

11. Corpus mathematicum inter accidentia & in prædicamento quantitatis repperitur: estque magnitudo siue quantitas continua, trinâ dimensione, longitudine nim. latitudine & altitudine siue profunditate constans.
12. Corpus physicum in prædicamento est substantiæ; substantia scil. corporea è forma & materie naturali constans.
13. Astronomia tamen, è mathesi facilè princeps, verè subalternata est Physicæ, non finis solum sed & subiecti ratione.
14. Cæli eadem est, quæ elementorum sublunarium & mixtorum materies. Idem tamen distincta à quatuor elementis quinta essentia rectè appellatur.
15. Cælum reuera moueri & Terra videtur quiescere. Et Terra hætenus pro Mundi centro habetur.
16. Motus cœlestium corporum naturalis est. Non ergo à formis dependet adstantibus, neque famulantium intelligentiarum ope perficitur.
17. Orbes cœlestes in rerum natura non sunt: sed nudæ artificum Astronomorum *ὑποθέσεις*, ad faciùs monstrandos stellarum motus excogitatae. Sphæræ tamen Planetarum septem & firmamenti octaua, quæ omnes orbium systemata definiuntur, & ex iisdem dicuntur componi, distinctæ & separatae sunt.
18. Planetæ secundum signorum ordinem directi semper progrediuntur. Iisdem tamen à nobis verè etiâ retrogradatio, statio, &c. adscribitur.
19. Vnicus est vnius corporis motus naturalis. Stellarum tamen quælibet, ab occasu in ortum propriò

proprio motu, & contra ab ortu in occasum
motu primimobilis simul rapiuntur.

20. Vbi Physicus definit, ibi incipit Medicus.
21. Nec tamen Physicæ Medicina subalternatur.
22. Actio physica, absque mutuo agentis & patientis contactu non fit.
23. Contactus iste duplex est.

Vnus immediatus, verus & corporalis; cum corpora mole suâ se inuicem contingunt, ita vt vnum in alterum agat & ab altero patiatur immediatè. Sic ignis tangit lignum quod comburitur. Medi istius contactus fiunt actiones vniuocæ.

Alter medius, improprius & virtualis; cum potètia aliqua & virtus solùm agentis simul est cum patiente. Sic Sol calefacit hæc inferiora. Et hæc actio est æquiuoca.

24. In ὁπλιδική & curatione vulnerum per vnguentum armarium, ipsi telo non parti læsæ inunctum, non est virtualis, multò minùs corporalis contactus.
25. Curatio itaque illa nulla est: vel si accidat, naturalis non est; sed illicita & superstitiosa, ex implicito saltem, si non explicito, cum Caco-dæmone pacto, profecta.
26. Quod plurimis aliis absurdis & contradictionibus, quas eadem infert, ad oculum monstrari potest.
27. A qua proin tanquam magica, nec non ceteris medicastrorum imposturis, vetularum experimentis, & meris infamium carnificum carnificinis, quiuis sanæ mentis compos corporeæque sanitatis auidus abhorret.

Ad

Ad magnificum amplissimumq; Virum

IOHANN. IACOBVM ZIEGLERV M I.C.
Consulem spectatissimum

Mecenatem colendum

FRIDERICI LVCII SECRETAE

Επιφώνημα.



Patria exoptate Pater, quem Numina summo
nomine condecorant : si quosuis fronte benigna
erigis, ac placidus placito placamine nutris;
& nostros, spero, non dedignabere Musas
adspicere ulterius, largog; fauore fouebis
quas fero primitias. Charta leniuscula dona
adiollas gravitate tuâ dextraq; potenti
clemens sustineas : humilem tutare clientem
qui cluis imperio. Docta illustrig; corona,
en, sisto, Gnatum, Sophia qui gnauus in hortis
ambulat, hinc florum varia ornamenta capesens.
Hunc pugna socium legi. Produco Tyronem
non Veteranus ego. Quod si fors impare gresu
ambo ruant, solus Tu nos stimulabis agoni
proposito, solus poteris demsisse timorem,
& dubia menti victorem accendere Martem.

ΜΟΝΩ ΤΩ ΘΕΩ
ΔΟΞΑ.